

N E C R O L O G I A

† Adm. R. P. Ernestus Manise (1864-1938)

(Prov. Belg.)

Die 10 Decembris 1938 in domo paroeciali loci Brugelette (prov. Hainaut), postquam duos tantum dies decubuit, mortuus est Adm. R. P. Ernestus Manise, Rector domus Tornacensis, pietate et observantia regulari et animarum zelo atque operibus praestitis conspicuus.

Natus loco rurali Mesnil S. Martini in dioecesi Narmurcensi 11 Jun. 1846, postea, cum adolevit, etsi pius atque modestus et ardenti voluntate praeditus, neque sacerdotio neque religioni sese creditit a Deo destinatum, uti ex studiorum collegio laico *Malonne* tunc electo satis appareat. Ubi autem superiorem agnovit vocationem, hanc mutata schola ita firmiter prosecutus est, ut postea fratrem quoque Ludovicum aetate maiorem, tunc temporis iam parochum saecularem, in nostram Congregationem attraxerit. Ipse vero vota perpetua Trudonopoli 2 Febr. 1886 emisit, suoque tempore presbyteri suscepit ordinem Pulchriugi 4 Oct. 1891.

Montium domo adscriptus, Rector ibidem iam a. 1898 renuntiatur. Duobus dein trienniis Leodii Ministri munere fungitur, dum interea labores praecclare tradit apostolicos cuiuscumque generis, celebremque ibi S. Familiae archiconfraternitatem moderatur alias sodalitates.

A. 1908 a Superioribus ad Vice-Provinciam Canadensem mittitur, ubi, etiam a. 1910 creatus Consultor Secr. Pl. R. P. Lemieux, frequentissimam S. Annae peregrinationem Pulchriprati verbo simul et opere dirigebat. Praeterea missionibus praeverat inter christianissimum Canadensem populum fructu abundanter locupletatis, atque eximie tradebat exercitia monialibus et collegiorum alumnis et sacerdotibus.

Sexies munus Praefecti secundi novitiatus ibidem exercuit, vulgavitque, praeter instructiones Iunioribus nostris destinatas, tres libros, qui inscribuntur: *L'avenir de la jeune fille* (1912; etiam translatus in Anglicum) — *La sainteté mise à la portée de tout le monde* (1909) — ac praesertim opus 350 paginarum *L'âme sanctifiée par les dons du Saint Esprit* (1912); quae scripta, sicut et praedicationes P. Ernesti Manise, et doctrina et forma eminent.

Illi autem prae ceteris labores eius mentione digni sunt, quos, omnis generis difficultatibus fortiter superatis, in favorem suscepit miserrimorum Belgarum, qui ante viginti vel triginta annos ad Status Unidos Americae migraverant atque in Pensylvania, praesertim in carboniferis et oliiferis opificiis, laborabant. Amor popularium suorum et animarum zelus insimul

eum ad hoc opus accendebant. Sed, eheu! quosnam iam ibi invenit cives! Homines impios et audaces, ad protestantismum, spiritismum, immo atheismum fere deversos, non tantum praedicationi et confessioni, sed etiam baptismio saepe repugnantes.

Alter iam missionarius e saeculari clero, dimisso opere ingratissimo, aufugerat. Non ita vero P. Manise, qui ut miles fortissimus pugnam strenue suscepit. Quodam die, dum mulierem in domo ad contionem et ad salutem animae curandam invitat, maritum aegrotum audit in proximo cubiculo dicentem: « Cum mortuus fuero, in terram mittent me, et tunc omnium finis erit ». Cui Pater a longe elata voce respondet: « Utique, bene dicas; et ad diabolum ibis et ibi manebis in aeternum! Vale! »

Verumtamen aliquem fructuum manipulum ubique colligebat: nempe aliquot confessiones, primas communiones, immo baptismata adulorum (quandoque simul baptismi minister existens et patrinus, necessitate coactus), matrimonia quoque eorum qui in concubinatu vixerant.

Sie in compluribus locis dioecesis Pittsburgensis, in Butler, Pont Marion, Cecil, Noblestown, Ford City... missiones habuit, semper solus et coram paucis, reduxque annis sequentibus eadem loca visitavit, domos adiens longe disseminatas et adultos etiam extra ecclesiam ad sacramenta praeparans. « Quot habentur in Deo personae? » interrogavit quandam aetate iam provectam puellam. Et illa audacter: « Bene scio, sedecim! » « Non tot; sed? » « Ponamus ergo duodecim! » — Tam profundam saepe inveniebat ignorantiam! Quare Pater semel saltem auditus est dicere: « Nunquam scient quae istis annis pertulerim »<sup>1</sup>.

In Belgium a. 1920 redux, Leodiensi domui Rector praeficitur. Sed insequenti anno denuo ad Americae regiones, hac vice ad Antillas insulas, proficiscitur visitationem canonicam peracturus. Qua absoluta ibidem remanet et novam periodum missionalem (1921-1936) aperit, qua tres insulas Guadeloupe, Martinique et Haïti indefessus peragrat.

Diceres providentissimi Dei bonitatem immanes Pensylvaniae labores operario zelanti iam consolatione compensare et remunerari voluisse. Diceres quoque Dei sapientiam indifferentiae, ne dicam impietati christianorum albi coloris opponere voluisse fidelium nigritarum fervorem. Illud denique menti se offert: nostri Patris indolem « praeliantem », potius quam inter fideles Canadensis regionis fide eminentes, in Antillis potuisse magis magisque sese manifestare. Quibus viginti septem annis apostolatus in Novo Mondo exantlatis si addas undeviginti annos, quibus zelanter et eloquenter in Belgio operatus est, sane exemplum habes vitae apostolicae vere plenaе.

<sup>1</sup> In *La Voix du Rédempteur* 1920-1921 ipse scripsit seriem 7 articulorum *Les missions aux Belges wallons dans la Pensylvanie*.

Memoria dignae praesertim sunt Martinicenses trigna sex missiones, quae, ipso semper duce, annis 1923–1925 tanto cum fructu sunt traditae, favente Illmo D. Lequien, Episcopo Arcis Gallicae (*Fort-de-France*). Ubique ecclesiae angustiores et haud suffientes exstiterunt, etsi satis amplae, et quamvis viri separatim a mulieribus, dato item toto tempore, fuerint evangelizati. Videres occasione processionum s. Crucis sex, decem, quindecim milia fidelium devotionem suam piis orationibus et canticis sincere clamitare. Videres, praeter plurimas confessiones et primas communiones adulorum, permultas viri mulierisque uniones, forte iamdiu bona fide inceptas, sacramento matrimonii convalidatas, v. g. in Robert 250, S. Iosephi 200, in Lamentin 350, in Gros Morne 480, S. Mariae 500. Quorum matrimoniorum summam, si matrimonia in Guadeloupe et praesertim in Haïti occasione missionum celebrata addas, quinque milia invenies superasse.

Habeto iam duo documenta: primum telegramma a parocho R. D. Lorrain (Martinique) ad R. P. Manise, iam alia missione occupatum, transmissum: « Parochus Lorrain et 245 matrimonia hoc mane ab Episcopo benedicta naenon 727 primae huins diei communiones grati animi sensus carissimis missionariis aperiunt, absentes lugent, Deumque precantur ut sanitatem et benedictionem largiri dignetur ». Alterum documentum sunt litterae ab Episcopo ad clerum datae, quibus fatetur eventum missionum superasse omnem exspectationem et praedictionem, fructumque earum factum momentosissimum historiae dioecesanae extare. Porro P. Manise illorum missionariorum caput fuit simulque exemplum, plus omnibus laborans.

De apostolatu inde ab a. 1926 per eum in insula Haïti exercitato etiam *Analecta* nonnulla rettulere, scil. a. 1926, p. 204 (cum imagine ecclesiae cathedralis urbis Portus Principis et ingenti multitudine); a. 1927, p. 319 (cum accurato elenco laborum unius fere anni); a. 1930 (cum generali descriptione illius insulae). Ibi P. Manise, primus novae fundationis *Port-au-Prince* Superior, non solum annis 1926–1936 centum et trigna missiones ipse ordinavit et plerasque praedicavit, sed etiam domum et ecclesiam annis 1929–1931 a fundo ad summum aedificavit, nulla relinquens successori debita<sup>1</sup>, cultum S. Gerardi, titularis, introduxit, associationem binam S. Familiae instituit, exercitia spiritualia sacerdotibus quinque diocesum tradidit, communitatem quinque passim membris constantem per septem annos gubernavit.

A. 1935 alias illi suffectus est Superior. Ipse 2 Febr. 1936 iubilaeum quinquaginta annorum professionis celebrare potuit, vota publice in ecclesia renovans et laudes eximias, etsi invitus, a Superioribus ecclesiasticis

<sup>1</sup> Videsis *Analecta* a. 1931, p. 302 imaginem novae ecclesiae S. Gerardo dicatae.

et religiosis recipiens. Praecipue gaudebat Apostolica Benedictione, quam a Beatissimo Patre ipse ei attulerat Nuntius, Excmus D. Fietta.

Eodem anno in patriam ad domum Namurensem regressus, ibidem Iunioribus linguae Gallicae secundum novitiatum septima vice tradidit et mense Aprili 1938 Tornaci Rector est renuntiatus, mox a supremo Domino ad mercedem recipiendam vocandus.

Iudicium tibi a me<sup>1</sup> de eius agendi modo et charactere exquirenti sic breviter respondeo: In R. P. Ernesto Manise fuit robusta voluntas in prosecutione boni, activitas in laborando, severitas in iudicando et praedicando, promptitudo in negotiis dirimendis, « personalitas » et tenacitas in volendo et exsequendo. Etiam coram Episcopis aliisque viris eminentibus sensa sua libere pandebat. Motu proprio rem incipere et inceptam ad bonum finem perducere videbatur. Quidam Vicarius Generalis, affirmando potius quam quaerendo, quondam dixit: « Estne vester P. Manise Provincialis? » Fidelibus malae voluntatis graviter quandoque displicebat. Cuidam huius indolis, expetenti lumen, ostium aperuit et reclausit, ostenso lumine solis. Responsum exquirenti ad scriptum minus conveniens alapam dedit inquiens: « En responsum meum! » Ministellum protestantem, qui Patrem Manise ad suam ecclesiam invitarat, ipse invitavit tempore missionis eique coram et prope assistenti non modo honoris signa exhibere renuit, sed contionem de sexto « tonitruans », applicationes oculo et voce hospiti adeo indigitavit, ut iste, nisi de vanitate accusationis monitus fuisse, contionatorem ad tribunal traxisset.

Dato autem bonorum numero maiore, opinio publica vituperationes bene meritas Patri Manise non solum condonabat, sed eum audire gratum habebat dicentique favebat. Adde vocem amoenam, dictionem clarissimam, viri senescentis aspectum pulchrum et venerabilem: iam intelliges famam eius omni comparatione maiorem vigentem in republica Haïti, in quam tamdiu laboravit, solam intendens gloriam Dei et salutem animarum.

Optima videbatur valetudine gaudere, tamen fere semper e capite laborabat, ita ut propterea vix ad vota fuerit admissus. Infortunia pluries ei acciderunt, ut casus ex equo, brachium luxatum et distortum. Identidem in syncopen cecidit, ac semel a fidelibus, sui non compos, ab ecclesia auferri debuit. Phlebiti ante annos viginti affectus, nunquam plene sanatus est. Sed de his ne loqui quidem patiebatur.

Triduum seu potius quintiduum Immaculatae Conceptionis, quod in Bruggelette abhinc quadraginta annis tradiderat, rursus gaudens praedicandum suscepit. Contiones habuit diebus 4, 5, 6 Decembris; d. 7, percussus embolia cordis, vespere a parocho ultimis sacramentis munitus est, a Patre

---

<sup>1</sup> Scribit R. P. Conter, diu laborum Patris Manise in Antillis socius.

Ministro aliisque confratribus visitatus et adiutus. Iam moribundus sese gerebat adhuc pro missionario et Superiore, praedicans et gubernans. Praesentes aedificabat loquela et oratione, donec mane 10 Decembris spiritum Deo reddidit.

Eius corpus, eodem die domum reductum, post exsequiarum sollemnia praesentibus Episcopo, sacerdotibus, confratribus, religiosis fidelibusque celebrata, ad coemeterium *Rumillies* translatum est. R. I. P.